



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...**

... De Excellentissimis Jesu Christi Dei-Hominis

**Louis François <d'Argentan>**

**Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1723**

**VD18 80217931**

Consultatio II. De incomprehensibili Dei consilio pro reparatione hominis  
per mysterium Incarnationis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45509**

nita sua bonitate id totum reparavit, quod primi destruxerat malitia hominis.

Hem! quis est hic CHRISTUS JESUS? interrogavit nos hic homo, cujus totus jam animus erat solatio refertus ex novis cognitionibus, quibus illuminatus erat; sed sentiebat augeri famem suam, ut exoptaret adhuc majores. Declara ergo mihi, te ob-

secro, quisnam hic sit CHRISTUS JESUS, de quo mihi loqueris, ut credam in ipsum, ut adorem ipsum, ut diligam ipsum, libentissime promittebat id ipsi, qui illum instruebat. Sed sufficit, quod audisti, pro primo hoc congressu; acquiesce, & cras dicemus id tibi.

## CONSULTATIO II.

*De incomprehensibili DEI Consilio pro Reparatione hominis, per Mysterium Incarnationis.*

**Q**Uam admirabilis in arcanis providentiæ suæ est DEUS? Coacti sumus transigere noctem in hac Insula, ubi aliud diversorium nobis non erat, nisi quod universalis Creator ædificaverat ipse pro omnibus creaturis: habebamus cœlum pro laqueari, & pro lecto serviebat nobis terra, quibusdam solummodo instrata herbis, inter quas magna arbor, densis spissisque frequens comis, sua in orbem extendebat brachia, ut serviret nobis, ceu fabricatum à natura tentorium.

Insularis noster hujusmodi asfuetus diversorio, valde bona est usus quiete, dum interim nos partem noctis precibus impendimus fundendis, cum tranquil-

lum & quietum hoc tempus idoneum omnino sit ad elevandum mentem in DEUM, qui sæpissime spiritualementem suum ingressum facit in animas eâ ratione, quâ corporalem facere voluit in hunc mundum inferiorem, nascens in tenebrarum medio, & altissimo omnium creaturarum silentio: *Dum medium silentium tenebant omnia.* Altera noctis pars transacta est legendò Excellentias DEI exaratas in frontibus stellarum, characteribus radiofa luce plenis, loquentibus ad oculos, & incessanter enarrantibus gloriam DEI Creatoris sui. Residuum noctis dabatur colloquio de prodigiis divinæ providentiæ, quæ nos feliciter eò loci deduxerat, ubi inveniremus homi-

nem,

DEUS  
tur qu  
que ani  
fornio

Nox  
est ad  
dum &  
templand  
Excellenti  
DEI.

Tria fo  
sum ge

nem, qui perditus videbatur in parvo orbis angulo, cunctis incognitus mortalibus, jam tot annis omnî humanò destitutus auxilio.

Judicavimus haud malè ex inusitata ipsi à cælo præparare gratias, sed nesciebamus ipsas futuras tam copiosas, sicut experti fuimus. Siquidem, dum ita colloquebamur, persuasi, ipsum solum alto tumularum jacere somnò, erat DEus cum ipso & loquebatur ad animam illius, ut admirabili quadam ratione ostenderet, & manifestaret ipsi ineffabile Mysterium Redemptionis mundi, in visione quadam intellectuali, quam ipse ceu somnium fuerat interpretatus. Et reverà erat somnium omninò divinum & supernaturale: tria enim somniorum sunt genera; naturalia, diabolica, divina.

Dantur somnia naturalia, quæ non sunt nisi purus effectus temperamentum & dispositionis humorum naturalium, qui pugnant vel dominantur in corpore humano. Hinc est, quòd biliosus somniet sæpissimè, se luctari, & esse in bello phlegmaticus somniet, se esse in aquis aut imbre perfundi; sanguinolentus somniet, se volare aut currere; melancholicus, se horrenda videre spectra, aut labi & illidi se in præcipitia: vel etiam quandoque passiones & animi affectus,

quando vehementes sunt, conciliant somnia suis conformia desideriiis. Avarus, exempli gratiâ, non somniat, nisi de thesauris suis; ambitiosus, non nisi de dignitatibus; luxuriosus non nisi de suis lasciviis & voluptatibus; homo addictus litteris etiam studet dormiendò, & concipit quandoque, dum dormit, quod comprehendere non poterat, dum vigilabat. Hæc somnia sunt naturalia, quæ quamvis non magni æstimanda sint, non tamen prorsus sunt inutilia, cum servire nobis possint ad cognoscendum dispositiones nostras naturales, nosque etiam instruendum in moribus. Siquidem Aristoteles sapienter hac de re discurrens asserit, quòd virtutis amantes magis suavia magisque rationi congrua habeant somnia, quam vitiosi; quòdque horrorem, quem conceperunt ergà malum vigilandò, conservent similiter dormiendò: *Virtuosi nanciscuntur dormiendò meliora theoremata præ aliis non virtuosis.*

Reperire est etiam somnia diabolica, quæ tunc accidunt, quando DEus permittit huic principi tenebrarum impugnare animas durante regno suo. Vexat enim illas importunis imaginibus, quas imprimit ipsarum sensibus internis & imaginationi: modò, ut somniare illas faciat, quòd ipsius succumbant tentationibus, quòd-

E 3

que

DEus loquitur quandoque animæ in somnio.

Tria somniorum genera.

Lib. I. Ethic. cap. ult.

Somnia diabolica.

que committant dormiendō peccatum, à quo abhorrebant vigilandō, sperans, se deceptorum expergefactas, & extorsurum consensum ab eis in malum: modò, ut illas retineat ab executione boni alicujus, quod formaverant, consilii aut propositi, sinistrum augurandō illis successum; & modò, ut impediatur consilia aliorum. In instanti, quo sedebat Pilatus pro tribunali condemnaturus Jesum Christum ad mortem, venit confestim nuntius ab uxore missus ad ipsum, hæcque insinuans:

Matth. c. 27.  
v. 19.

*Nihil tibi est justo illi, multa enim passa sum hodie per visum propter eum.* Plerique Patres sentiunt, hæc somnia fuisse diabolica, per quæ diabolus impedire voluerit passionem Redemptoris & salutem hominum. Et quandoque DEus ipse, qui utitur malitiâ dæmonum ad exhibendum certis peccatoribus beneficium, permittit, ut ostendant ipsis in somnio aliquas suppliciorum, quæ promeriti fuissent, imagines. Sicut

Plutarchus.

Plutarchus annotavit, quòd insignis avarus & crudelis Apollodorus somniaverit, quòd Scythæ se coctum in ahenò & excoriatum disseuerint in frustra, quòdque in medio horrendi hujus supplicii cor suum dixerit sibi: *Tu ipse exerces in te hanc crudelitatem, quæ me replevisti.*

Tandem somnia sunt quoque divina, quæ speciem referunt revelationum, in quibus DEus, sive per seipsum, sive per ministerium suorum Angelorum, manifestat nobis voluntatem suam tempore somni. Sacra Scriptura tota scatet ejusmodi somniis divinis. Duodecimo capite libri Numerorum dixit DEus ad Moysen, Aaron & Mariam fororem illorum: *Audite sermones meos, si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.* Sanctus Job sæpissimè de his loquitur: *Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplinâ.* Jacob aspexit in somnio mysteriosam illam scalam, quæ à terra pertingebat usque ad cælum, & Angelos ascendentes & descendentes per hanc scalam. Omnes libri Salomonis, Danielis, & cæterorum Prophetarum nonnisi somniis abundant divinis.

Et in Evangelio Angelus Domini apparuit sancto Joseph in somnio, & admonuit ipsum de salvando puero Jesu à persecutione Herodis. Sanctus Petrus vidit in somnio magnum illud linteum, quod descendebat de cælo plenum animalibus immundis, quæ jussus est occidere & manducare, ad significandam

ipm

Peccata  
sunt au  
suos co  
DEO.

ipſi conſiſionem Gentilium, qui perdere debebant vitam ſuam beſtialem & criminofam, & pro ea recipere vitam divinam, & omnino ſanctam, ut filii fierent ſanctæ Eccleſiæ. Denique nihil ulitatus eſt, quàm argumenta & exempla, quæ nobis ſacra affert Scriptura, ad inſinu-

andum & oſtendendum nobis, divina dari ſomnia.

Illud, quod noſtro accidit homini, tempore ſomni ſui, erat procul dubio ſomnium quoque divinum. Nam expergefactus & idæas illius adhuc totas recentes circumferens, acceſſit nos totus exterritus, idque enarravit nobis ſapientibus verbis.

## ARGUMENTUM.

*Viſio admiranda circa modum, quo DEUS præſtare hominibus voluit beneficium Redemptionis.*

### ARTICULUS I.

**N**Unquam totâ vitâ meâ talem exegi noctem. Aspexi res tam ſtupendas, tamque inauditas, ut neſciam, undè deſumpſerim, quod ſomniavi. Videre mihi viſus fui Majeltatem DEI in throno ſuo, in forma, qua adminiſtret juſtitiam, pronuntiet horrendas damnationis ſententias, decreta evulget mortis æternæ adverſum peccatores. Videbam omnes coram ipſo inhorreſcentes tremore homines, eò quòd unicuique illorum eſſet, qui crimini non fuerit obnoxius; & quòd majori me perculſit ſtupore, eſt, quòd è medio illorum pectore legiones certorum terribilium monſtrorum, inſurgentium contra ipſos viderim prodire, quæ eodem tempore obibant vices tum accuſatorum, tum teſtium, tum partium, quæ

que voce horribili exquirebant vindictam à ſupremo iudice contra illum, qui ſe portaverat in ſinu ſuo.

Inventus in medio infelicis hujus catervæ, oneratus criminibus, velut omnes alii, tremore quoque inhorruì ſicut ipſi; & cogitabam ipſe mecum, an expedire me non poſſem ab inimicis hiſce domeſticis, vel illis imponere ſilentium, quo impedirem, ne accuſarent me coram iudicio DEI. Sed quò magis ſedare illos volebam, tantò magis adverſum me vociferabantur. Expetebam ſuppeticas à cunctis hominibus, quòs videbam in terra, ſed reſponderunt mihi: Eadem tecum navigamus cymbâ, & eadem tecum jactamur tempeſtate; ſuccurrere tibi non poſſumus, eò quòd nec nobis

Peccata accuſant auctores ſuos coram DEO.

Omnes creature ſunt contra peccatorem.

bis præstare succursum valeamus. Attollebam in cælum oculos, tendebam ad astra & omnes creaturas manus, & omnes repleverunt me, allegandò, quòd sanè omni careant facultate efficax præbendi remedium infinito, quo oneratus essem, malo: imò etiam si adjuvare me possent, se potius acturos esse causam Creatoris sui contra me, seque omnes se potius armaturas indignatione universali, ut delerent & perderent me.

Quid faciam igitur, dicebam intra meipsum? volebam explorare cor meum, an vires mihi essent tuendi ac defendendi me? & inveni proprium cor meum insurgere adversum me, propriamque meam extimulari plurimum conscientiam ad accusandum me & condemnandum, adeòque impedire me non posse, quin occultissima mea proferat in lucem arcana, ipsaque manifestet omnia, quæ commisi, crimina.

In extrema hac constitutus necessitate, cum non viderem, quò meam verterem fiduciam, sublati in altum oculis ac manibus, ad ipsum me converti iudicem, quin vel unicum pro mea defensione ipsi auderem dicere verbulum; tanto perculsus eram timore, tantòque suffusus pudore; sed lachrymæ meæ, quæ interdum pondera vocis habent,

& suspiria mea loquebantur ipsi pro me. Videbatur is mihi totus emollitus meorum aspectu miseriarum, suavissimo vultus ac oris habitu, hæc auribus imponere verba: *Quid vis, ut faciam tibi?* ex hoc animatus fui, ut peterem ab ipso non absque tremore: Domine, hoc favore me dona, ut liceat mihi tecum inire pacem, quotiescunque te offendero, tuncque maximam in me concitatus fueris iram: O si medium mihi foret placandi te, postquam fueris irritatus à me! O si tuam exarmare possim justitiam, ne ob mea flagitia decernere in me posses supplicia, hæcque mihi ipsi abolere liceret, quoties liberet!

Sed quæ tua hæc est petitio? respondit mihi: an fuerit unquam tantæ clementiæ princeps, qui ejusmodi præsentatam sibi non repudiaverit petitionem? quò deveniet ergò rigor legum? quò auctoritas justitiæ? quid roboris habebit ipsa ad reprimenda vel punienda crimina, si talis manibus facinorosi confingetur facultas, frustrandis ipsius consiliis, annullandis omnibus ipsius decretis, quando suo is uti volet favore ac privilegio?

Verum est, Domine, fufius respondi lachrymis: Fateor, omnes simul in mundo homines tantum bonitatis inserturos nunquam cuipiam cordi humano, ut addu-

Admiranda  
propositio  
DEO facta  
à peccatore.

Privileg  
admirab  
DEO co  
sum pec  
tori.

adducant illud ad favorabilem ejusmodi postulationi præbendum annutum : sed novi, te infinita ratione bonum esse, tuamque misericordiâ hominum non mensurari misericordiam. Ah! Domine, ostende mihi divitias ineffabilis bonitatis tuæ, & ne perdas me opus manuum tuarum.

Privilegium  
admirabile à  
DEO concessum peccatori.

Summò deliniebar solatiò, quando vidi ipsum benignè respondisse mihi, meæ assensum præbuisse petitioni, tamque affabili, tamque suavioris compositione, ut totum rapuerit cor meum, hæc mihi dedisse verba. Vide, quàm sim amabilis; non solum condono tibi omnia tua, quæ commisisti, crimina; sed concedo quoque tibi admirandum hoc, quod efflagitasti privilegium, quod concedere possibile non est, nisi infinitæ bonitati DEL. Si contingat, te ex maxima, quæ inveniri possit, ingratitude deinceps offendere me peccatis, prærogativâ te augeo, ut in meam redire possis gratiam, tuique condonationem criminis, ipsemet tuò firmare chirographò, & intimus, si velis, evadere amicus: nullos meos figo limites gratis, tuorum non respiciens peccatorum numerum, si multiplicata quoque forent ultra herbas & gramina, quæ germinat & alit terra; nihil re-fervo, excipio nihil, quando e-

normius multò foret omni eo, quod subire potest cogitationes hominum, universalem obtinebis veniam omnium, intrâ minùs quàm quadrantis horæ spatium, juxta tuum, si uti illo volueris, privilegium: nil ampliùs tibi damnationis, nil inferni, nil mortis æternæ metuendum erit; sed potiùs locupletabo te vitâ æternâ, & propriæ meæ possessione gloriæ. An quid ampliùs exoptare possis? an cernis, quàm dives in bonitate sit DEUS tuus? nisi ipsum ames ex toto corde tuo, nonnè ingrator sis omnibus creaturis? sed ut ampliùs obstringaris ad hoc, elige tibi ipse modum, vide, quâ ratione tam singulare expedire tibi velis privilegium.

Totus abreptus gaudiò, me Admirabilis tantis cernens accumulatum favoribus, omnis oblitus timoris eò usque evali fiduciæ, ut argui non abs re potuerim insolentiæ: ausus namque fui tam inusitatam ipsi facere propositionem, ut nesciam, qua ratione pronuntiandi eandem habere potuerim confidentiam. Optimè novi, inquebam ipsi, ò supreme Monarcha mundi, te facere id posse unico voluntatis tuæ actu, utque id mihi demonstrares, unicum sufficere oris tui posse verbum. Aspicio tot millones Angelorum augustæ Majestatis tuæ circumfusus Throno; scio, te ex illis  
F depu-

deputare unum posse, qui reconciliationis meæ existat mediator, meque meò frui faciat privilegiò. Verùm si ipsemet in persona venire velles? hoc pro mea foret consolatione, majorémque mihi præberet fiduciam; adeoque optarem, ut ipsemet è throno gloriæ tuæ descendens veniret ad me, ad succurrendum mihi. O si oculi mei viderent te miseriarum mearum immersum abysso, túque assumeres illas, ut ab illis me liberares; luculentò id mihi argumentò foret amoris tui, de quo amplius dubitare non possem, túumque foret totum cor meum, meque securum sic crederem, mei virtute privilegii; nunquam enim non metuo tuæ rigores justitiæ. Veni ergò, Domine, measque sub vices, meâ te indue formâ, meâ te cooperi pelle, teque propriâ meâ investiens carne, expone te ad excipiendos omnes ictus, quos irritata tua justitia vibrare poterit super me. Et denique ut ab omnibus me tantum præstem periculis, asserere te reum esse, & crimini obnoxium.

Sancto hor-  
rore concuti  
debet, confi-  
derans exc-  
sum bonita-  
tis DEI super  
nos.

Vix protuleram verbum, mox mei ipsius me perculit cum tremore horror, ac stupor temeritatis meæ, exprobrans mihi inrius, valde magnam me commisisse blasphemiam. Itane ergò, dicebat mihi, sonò querulò,

& quasi meâ miseratione tactus ignorantia: Nonnè sufficit, indulgisse me tibi veniam adeò universalem, ut nullos hinc statuum limites, tamque facilem obtentu, ut tibi propè stet nihili? An autem congruat adhæc, ut pro reo puniatur innocens, Deique Majestas, quam offendisti, ipsamet potest, peccatorum, quæ commisitisti supplicium? quæ metamorphosis rerum, quando is, qui offendit, imponere vult multam offensæ illi ipsi, quem offendit? temerarie, qua ratione tam insolentem formare solummodò es ausus cogitationem? obruebar tanto hinc pudore, ut vix non obruerer morte.

Et nihilominus, nescio, quomodo acciderit, audacior factus quàm antè, quin ipsemet scirem, quid dicerem, adjunxi: Domine, sed hoc non sufficit, ulterius quid molire, & facito id omne, quod facere potest DEUS in extremo ineffabilis bonitatis suæ excessu. Postquam induisti te Considera corpore humano, quale est me- horrore no um, sacrificia, & immola illud ex percellens amore ergà me; expone id omni carnificum furori, quo crudelissimè debacchentur in ipsum, dilaniant id virgîs, & totum à plantis usque ad verticem opeant plagis; verticem ipsum spinis perforant, teque tandem manus pedesque confixum clavîs, infamî suspendant lignò.   
Satu-



Saturare insuper opprobriis & contumeliis, calumniis ac injuriis, cruciatibus ac doloribus, sarcasmis & maledicentiis publicis populi adversum te efferati; sicque morere inter humiliatōnes ignominias, tormenta ac supplicia omnia, quæ mea promeruisse peccata; & ita moriens omnem tuum usque ad guttam ultimam effunde sanguinem, ut salubre mihi præpares balneum, in quo possim, quando voluero, meam lavare animam, & ipsam ab omnibus, quæ in te commifero, mundare peccatis.

Hæc dicens defeci spiritû, totusque obstupitus hæli & attonitus, ac abreptus extra me ipsum, nec intelligens id, quod dicebam. Non expectabam nisi è cœlo, quod conteret me, fulmen, in meæ supplicium temeritatis, quod ejusmodi in animum fuerim ausus admittere

cogitationes, & tam imperiosa, ne dicam, Majestati divinæ injuriosa ex ore meo protrudere verba. Manebam paulisper suspensus, & quid mecum futurum esset, expectabam anxius; & adverti excitari jubilum, & universalem in toto cœlo applausum, quasi festivus quidam ac triumphalis affulisset dies: audiebam harmoniam vocum Angelicarum cantantium suavissimè: Gloria in excelsis DEO, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et exin obortum est silentium magnum.

His ita peractis totus exterritus evigilavi, & venio ad vos, meum vobis relaturus somnium. Nescio, quid mihi futurum sit; nescio, an expectanda mihi mors aut vita, quod ita supremam DEI Majestatem, quam offenderam, præsumpserim tractare.

## ARGUMENTUM.

*Explicatio hujus visionis, quæ ostendit abundantiam misericordie DEI, quam homines imaginari sibi non potuissent.*

### ARTICULUS II.

**N**ON minùs obstupuimus, audientes, referrî suum ab ipso somnium, quàm obstupuerit ipse, id à se, dum dormiret, præfata ratione esse formatum. Sed pro eo, quòd ipse exin consternatus manserit & perturbatus, tanquam ex re, quæ sibi videba-

tur maximè horrenda, haud vulgaris nos gaudii demulset abundantia, quòd tam appropriatè explanatum videremus veritatum nostrarum amabilissimam.

Animæquior esto, diximus ipsi, in ejusdem ruentes amplexus; non omnia sunt perdita;

F 2

sed

**D**eus tantâ  
ergâ nos a-  
bundavit bo-  
nitate, ut nec  
Angeli, nec  
homines id  
cogitatione  
assequi po-  
tuissent,

sed cuncta potius succedunt tibi optimè; neque enim feliciore unquam potitus es nocte: Quod vidisti, non est somnium, nec mera imaginatio; sed maxime est veritas, quam ipsemet DEus tibi monstravit: sic enim se habet, ut vidisti: Id, quod hominum nullus unquam est ausus desiderare aut efflagitare à Deo, nec minimam sibi de eo effingere certitudinem; eò quòd illius infinita ratione simus indigni; id, quod Angeli ipsi in cœlo comprehendere non possent, eò quòd plurimùm ipsorum transcendat captum; DEus hoc ipsemet executioni dedit, unico impulsus infinitæ bonitatis suæ motivò, & incomprehensibili prorsùs amoris sui ergâ peccatores, qui nonnisi ipsius odium merebantur, abundantia & excessu.

**D**eus dat pec-  
catori plenam  
potestatem li-  
berandi se à  
peccato,

Siquidem non solùm largitus est illis inæstimabile privilegium, vi cuius in ipsius possint redire gratiam, si fortè hanc aliquo amiserint peccato; eo nomine concedens illis usum pœnitentiæ, mediante qua peccator maximus, & in suis sceleribus magis quàm ullus in terris inveteratus, etiamsi commisisset crimina magis enormia, quàm commissa sint ab omnibus hominibus, & ab omnibus simul dæmonibus à creatione mundi, intrâ minùs quàm quadrantis

horæ spatium, remissionem obtinere possit illorum omnium, & iustitiam DEI, ne condemnentur ab ea, quasi reddere impotentem, expectationem frustrandò inferni, omnesque illius extinguendo flammâ suorum unica lachrymulâ oculorum. Non duntaxat robur concedit illis catenas, quibûs in servitute constringuntur peccati, fortiter frangendi, vero dolore, quòd displicuerint DEO, conterendò cor suum, seque postliminiò asferendi in libertatem filiorum DEI; postquàm inimicis suis sese devoverant mancipia. Non tantùm in manus consignat illis clavem regni cœlorum ad aperiendum sibi illud pro arbitrio, quando voluerit, unico actû, quo oderit peccatum, & amet DEum, & potestatem ex abyssò inferni, ubi locus sibi erat destinatus, quoad hæserat in peccato, quasi in momento conscendendi in cœlum, & possidendi inter Angelos thronum gloriæ: quod tam ingens est donum, ut nemo præter DEum, qui infinita ratione dives est in bonitate, concedere id possit.

Sed quod auget admiratio-  
nem, est, quòd, dum gratuito  
id nobis concedit, & sine ullis,  
quasi nostris impensis, tam carò  
id emere voluerit pro nobis, ut  
expendere pro ipso voluerit pro-  
prium suam substantiam & pro-  
ptiam

**D**eus offer-  
fecit peccat-  
tiam pro pec-  
catoris lib-  
fendente.

priam suam vitam. Ideò namque in persona descendens è vertice cœlorum, & eo consilio splendores infinitæ suæ Majestatis deponens, factus est homo sicut nos, seque in nostrarum immerisit abyssum miseriarum, assumens in sua illas persona, ut ab illis nos liberaremur. Hinc est, quòd ducens in terra vitam pauperem, pœnosam, abjectam & afflictionibus refertam, severam agere voluerit pœnitentiam, ad satisfaciendum justitiæ suæ propriis suis cruciatibus, & tolerandum in se pœnas, quas nostris promerueramus peccatis.

Et quòd omnem transcendit imaginationem, omnemque id considerantem stupore replet animum: totus impassibilis, totusque immortalis, qualis est ex suæ potentiæ divinitatis, non solum pati sed & mori voluit pro peccatoribus: nec satis illi fuit mori simpliciter, sed mori voluit morte tum ignominis, tum cruciatibus plenissima, omnem suum profundens sanguinem ad extinguendum ignem indignationis & iræ DEI Patris sui, quo totum in nos succensum videbat ipsum. O prodigium bonitatum divinarum! sanguinem hunc pretiosum, cujus gutta minima majoris valoris est, quam centies milleni mundi voluit dare totum & integrum ad salvandum animam

meam: hanc DEI vitam, quæ longò superat intervallò omnia, quæcunque omnipotens ipsius brachium educere valet è fundo nihili dare & consecrare voluit pro me misero, ut me liberaret à morte, mihi que conferret vitam æternam. Quis unquam desiderare id ausus fuisset? & in finitæ bonitatis ipsius infinita ratione nostra excedunt desideria. O abundantiam amoris incomprehensibilis! O prodigia! O effusiones bonitatis erga nos miseros, quas omnes tum Angelorum, tum hominum mentes admirari nunquam cessabunt in omnem æternitatem!

Homo hic deficere sibi videbatur præ gaudio, admiratione & amore, talia nos audient explanare sibi, quæ cum ipsi omninò fuerint nova, abripiebant cor ipsius. Itane, inquiebat, hoc verum sit? Itane ingens hoc prodigium, cujus sola cogitatio me tanto concusserat horrore, DEUS sit executus? & factum hoc sit, & constans hoc sit veritas? Exin permansit aliquantisper absque verbo, attollens in cœlum oculos, & profunda è corde ducens suspiria, tandem ad nos conversus, magno cum animi fervore ita nos alloquitur: Et vos, id nòstis, vos? & vos id creditis firmiter? & vos non moriamini præ amore ergà DEUM tam bonum? & omnes ho-

Quantum  
prodigium,  
quòd DEUS  
voluerit mori  
pro nobis,

Affectus justæ  
gratitudinis.

mines, qui sunt in terra, seque id credere profitentur, non prosternantur de die millies ad pedes ipsius ad rependendas sibi grates? O ingratos! O indignos, quos tanta Majestatis tam excellentis dignitas, tantâ prosecuta est benignitate & clementiâ!

Sed magis adhuc stupendum his omnibus restat quidpiam, dicit ipsi bonus Ecclesiasticus, vehementi admodum sauciatus dolore. An crederes, quod post omnes hos bonitatis DEI excessus homines non contenti, se vivere absque ulla grati significatione animi, sapius eò usque portentosa ingratitudinis proruant, ut conqueri adhuc audeant contra DEum, & dicere, se nimium & plus æquò severè haberi ab illo, dum obstringit ipsos, ut tam amabili, tantâque cum misericordia ipsis concessio utantur pœnitentiæ privilegio? an crederes, inventos ex illis esse qui asserere haud erubuerint, quod facillè quidem sit DEO opera pœnitentiæ ordinare nobis, cum ipsi nil stet, nisi mandare illa; sed quod sibi amarum valdè & molestum accidat, obligatos esse ad concipiendum de peccatis suis dolorem, ad humiliandum se coram ipso, quin considerent, pro una oculorum suorum, quam ab ipsis exigit, lachrymula, ipsum pro se omnem ex veris suis profudisse sanguinem? An crederes,

quod postquam præparavit nobis tam salutare è pretioso suo sanguine balneum ad abluendas animas nostras, peccatores id tam parvi faciant, ut præferant spurcicias, quibus maculantur, sanguini Agni, quo à sordibus emundantur? An crederes, quod, dum indies apertos nobis exhibet thesauros suos in Sacramentis Ecclesiæ, pro eo, quod omnes homines catervatim se adolvere deberent pedibus ipsius & petere ab eo, ut illorum sese velit reddere participes, ipsi e contra illos fugiant velut molestas farcinas, gravia onera, moles insupportabiles? obsecrandi sunt, urgendi sunt, & millenis vix laboribus obtinetur ab illis, ut accedant.

An potest hoc esse, inquiebat nobis, satis asperè & non parva cum indignatione? Insensati ergò sint, necesse est, & inusitato adversum seipsos stimulatî furore. Itane? Expectare non poterunt nisi supplicia pro criminibus suis, & DEus ex immensa bonitatis suæ abundantia venit ipsemet, & suas offert, suas exhibet illis misericordias? & ipsi has repudient, has abjiciant? An ergò malunt præ blanditiis supplicia, præ fomentis tormenta? Ipse blanditur illis, non obstante ipsorum malitia: illi contemnant ipsum, non obstante ipsius bonitate. Nimis ergò quàm parum

Quàm  
dus sit pe  
tor & su  
suis inimic

DEus flit  
tus est a  
hibenda  
bis mis  
diam à  
bonitate

parum est illis, offendisse ipsum, nisi insuper insultent ei, despicendo amiables ipsius requisitiones, invitationes, prenfationes? an pervicaciter perire volunt, frustra reluctante luctamine omni, omni conamine bonitatis infinitæ, volentis salvare illos? an immergere se malunt æternis flammis devotentium abyssis, quàm haurire cum gaudio salutem suam è fontibus Salvatoris? Comprehendere non possum, abripi illos in furoribus tam inusitatum contra seipsum, nec credere, quòd, cum infinitum peccati malum circumferant in corde suo, abnuant illius recipere remedium tam facile, tam jucundum, quòd DEUS quem offenderunt, è proprio suo ipsis extrahit corde. Oportet ergò aliud quoddam arcanum in hoc latere mysterio,

quod nondum mihi explanaris; vel subesse necesse est molestam quandam circumstantiam in præparatione vel usu efficacissimi hujus remedii, quæ retrahat homines, ne magni id æstiment, aut debita gratitudine prosequantur.

Verum, inquis, respondit, qui formabat illum; alia adhuc prodigia hoc concernentia mysterium tibi restant addiscenda, quàm hæc, quæ hucusque explanavimus tibi: parum est, percipisse rem in substantia nisi percipientur quoque circumstantiæ, quibus adimpleta est, quæ tam admirabilem spirant suavitate, quæ forent idoneæ domare corda tygridum, & marmoream æreamque emollire duritiem. Audi historiam, & ipsemet ferto de hoc iudicium.

## ARGUMENTUM.

*Qua ratione Filius DEI missus sit à Patre suo in terram, ad conficiendum Opus nostræ Reconciliationis.*

### ARTICULUS III.

DEUS stimulatus est ad exhibendam nobis misericordiam à se la bonitate sua.

QUIS unquam credidisset, quòd DEUS videns in omnibus hominibus peccatum, velut lethalem holtem suum, quòd velut infinitum respicit malum, quòd infinito prosequitur odio, sibi tam necessariò quàm necessarius est amor, quo in propriam suam fertur essentiam? Quis si-

bi persuadere potuisset, quod in omnibus iis non videns, nisi iustissimæ motiva indignationis, quæ quasi vi facta debuissent extorquere ipsi sævissima è manibus supplicia, pro eo, quòd æquissimæ iracundiæ suæ super eos vibraret fulmina, fuerit stimulatus ad effudendum in illos omnem

omnem bonitatis suæ thesaurum, quin tamen aliud haberet incitamentum, nisi quia infinite bonus est?

In duobus statibus summæ miseriæ considerari potest homo: Et sunt duo nihila, quorum unum est nihilum essendi, alterum nihilum peccati. Manserant ipsi sepulti in nihilo essendi per omnem æternitatem, quæ præcesserat creationem mundi, & nunquam exiissent inde, nisi DEus extraxisset ipsos ex pura bonitate sua. Et quando semel versantur in nihilo peccati, deberent ibi permanere in omnem æternitatem, quæ mundi sequitur consummationem, & nunquam exirent inde, nisi DEus ipsos extraheret ex sola misericordia sua. Ipsi sunt extracti è nihilo naturali per beneficium Creationis; ipsi sunt extracti è nihilo criminali per beneficium Incarnationis. Utraque hæc liberatio & exemptio est stupenda, sed ultima absque comparatione magis, quàm prima. Si quidem si considerem beneficium Creationis.

Beneficium creationis magnum est, illud Redemptionis adhuc majus.

Fateor, rem esse admirabilem, quòd DEus, qui contentus vixit in semetipso per omnem æternitatem; qui nullius indiguit alterius; qui major fieri non potest, aut beator accessu alicujus rei extra se; qui nihil videbat in nobis, quod meretur minimam

oculorum suorum aspectum, nihilominus voluerit, per amabilem bonitatis suæ effusionem, suam extendere manum in omnipotentia suæ thesauros, & è fundo nihili extrahere innumerabilem hanc pulcherrimarum creaturarum multitudinem, quæ fragmenta sunt, è quibus ædificare voluit magnum hoc universum augustum, velut palatium, quod paratum servare voluit ad recipiendum nos, quod voluit instruere, òcupletare & ornare tam pulchrâ varietate diversarum creaturarum, quasque ad nostrum destinavit servitium, ut non solum nobis esset commoditati, sed etiam voluptati; & postquam ita nostrum præparaverat habitaculum, omnemque nostrum velut alicujus principis disposuerat comitatum, abs eo, quòd adhuc scire possemus id, quod in nostrum faciebat favorem, extrahere modò nos ipsos voluit è profundo abyssu nihili, cui adhuc immorabamur, postquam cæteræ creaturæ ex eo jam fuerint liberatæ, nobisque elargiri esse tam nobile, ut soli nos prærogativâ fruamur circumferendi gloriosos similitudinis suæ characteres, habendi animam spiritalem, immortalem, intellectivam & capacem ad possidendum ipsum in æternum.

Agnosco, hunc bonitatis excessum admirabilem prorsus videri,

Beneficium  
creationis  
magnum est  
illud Redem-  
ptionis adhuc  
majus.

Beneficium  
Redem-  
tionis adhuc  
debetur  
cordi  
num

deri, defixa mente ipsum consideranti. Quis enim obstringere te potuit, ut tantum erga nos haberes bonitatis, ô omnipotens Creator mundi? unde tam bona beavit nos fors? quid egimus, ut mereremur illam, dum nondum eramus, & consequenter incapaces ad cogitandum de te? Quis tantam nobis obtinuit felicitatem? Nè aliam inquiras rationem, diceret tibi; ego id feci, quia amo te ab aeterno; amo te, non quia id mereris, sed quia ego bonus sum, & bene tibi facere volui licet indignissimo. Quis diffitebitur stupendum hoc valde esse, & maxime idoneum ad lucrandum omnia id considerantium corda, quod ita nos DEus traxerit è nihilo naturali, ex unico amoris sui motivo, mediante omnium beneficiorum suorum primo, nempe beneficio creationis?

Verum quid hoc est respectu incomprehensibilis amoris, quem ostendit nobis, trahendò nos ex alio longè deteriori nihilo, quod est nihilum peccati, in quod nostrà dilapsi sumus malitià? Verum quidem est, nos in primo dignos non fuisse amore ipsius, quia nondum eramus: Verum est etiam, dignos nos non fuisse ipsius odiò, quia displicere ipsi non poteramus. Sed in secundo eramus minùs quàm nihil; non solùm indigni amore ipsius,

sed digni ipsius odiò, ipsius indignatione, reddentes nosmet ipsos commissione peccati, quod unicum summè odit, ipsius inimicos. Quartum prodigium omnem transcendens admirationem, quod videns nos in profundum hoc dilapsos barathrum, & non videns in nobis, nisi motiva justissimam suam detonandi super nos iracundiam, conceperit erga nos cogitationes pacis & amoris; & suam super nostram malitiam triumphare faciens bonitatem, constituerit se cum semetipsum imergere in profundam barathri nostri abyssum, ut inde nos extraheret, omnibusq; nostris peccatis sese onerans, cunctas nobis suas conferret gratias! O abundantiam bonitatis! O prodigium amoris! O portentum misericordiae! quis te posset comprehendere?

Quid enim putas ipsum egisse, ut nos extraheret è nihilo peccati, cui toti eramus immerfi? Quando Omnipotens suam extendit brachium, suamque misit manum in primum essendi nihilum, ut inde nos extraheret per creationem, nihil hic invenit, quod suo se opponeret consilio, nec quod divinà suà indignum videretur magnitudine. Sed postquam nos ipsos immerimus in alterum nihilum, nempe peccati, quod infinita ratione est deterius, profundius, misera-

Ut nos creet, DEus suam mittit manum in abyssum nihili.

bilius;

G

Beneficium creationis incitat cor ad amandum.

Beneficium Redemptionis abripere debet omnia corda hominum.

bilius; an alio opus non erat, quam denuo illuc mittere & extendere manum, ad nos inde extrahendo? procul dubio facere id poterat; omnipotentia enim ejus potest omnia in omnia nihili genera; & nos exiissemus sancti è nihilo peccati, sicut exivimus homines è nihilo essendi. Sed quia bonitatem suam reportare voluit triumphum super malitiæ nostræ abundantiam, probè videbat, nihil se invenire in miserabili hoc peccati nihilo, quod idoneum foret ad exequendum ingens amoris sui consilium.

Quamobrem suam immittere voluit manum in alium infinita ratione divitem thesaurum, ut desumeret inde, ex quo infinitam nobis conferret bonum, locò infiniti mali, quo aggravati eramus per peccatum nostrum. Thesaurus hic propria est ipsius essentia, adorandus est ipsius finis, est ipsissimus ipse: hic non invenit nisi Filium unicum, quem infinita amat ratione; hic est totus ipsius thesaurus, ipsius vita, ipsius gaudium, æternæ ipsius delicia, tota ipsius felicitas; extrahit ipsum inde, nobisque ipsum donat, gratuito, absolute, sine ulla conditione, ex summo amoris, qui possibilis sit DEO, excessu & abundantia: siquidem nonnè hoc omne est, quod donare posset sibi ipsi, si conferre

sibi vellet aliquod munus suâ dignum excellentiâ? Sacra Scriptura, quamvis à sancto dictata Spiritu, non satis facunda est ad exprimendam amoris hujus, domini ac muneris hujus magnitudinem; hinc è paucis verbis augurari permittit, quod nunquam aliquis creatus intellectus poterit comprehendere. *Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*

Quid facis Domine? Ecur abriperis in tantum liberalitatis excessum, qui totum tuum exhauriat thesaurum? si tuum adhuc Filium unicum dares alteri tibi ipsi? si alicui DEO tibi æquali, tamque ingenti digno munere? sed cui eundem dones? Magnis inimicis tuis, peccatoribus, qui tam procul distant ab eo, quòd digni existant hoc infiniti pretii donò, ut potiùs mereantur odium tuum lethale, pœnas, quas ipsis infligas æternas. Et hoc quid est, nisi quòd, quantò magis sunt indigni, tantò majoribus ipsos compleas favoribus; quantò magis te offendunt, tantò magis ipsos diligas; quantò magis tuam provocant iracundiam, tantò luculentiora ipsis ostendas summi amoris tui indicia. O amorem incomprehensibilem! O amorem cœcum! O amorem prodigum! O amorem ebrium seipso! quis tua comprehendere possit consilia? Tu

Ut nos redimat, mittit manum suam in abyssum infinite bonitatis suæ.

Amor di  
us nobis  
lùs dat  
quàm dare  
possit ipse  
DEO.

Joan.

Stupendu  
excessus  
ris DEI  
peccator

DEUS Fi  
suum ur  
nitum da  
minibus,  
ipso suu  
digni.



Amor divi-  
us nobis  
datus dat,  
quàm dare  
possit ipsi  
DEO.

Tu facis pro homine peccatore, quod non facis pro ipso DEO. Tu non es, o amor sacer, qui dedisti Filium unicum Patri suo: siquidem productus ipse non est per amorem voluntatis, sed per cognitionem intellectus. Ut quid ergo in finem ipsius involas, ut inde acceptum nobis dones? Itane? non posses ipsum donare DEO, & donas ipsum nobis peccatoribus! quis non admirabitur hoc prodigium? Nunquam probe agnovissem te, o amor infinite DEI mei, erga me miserum, si absconditus semper mansisses in arcano divinæ voluntatis Sanctuario. Sed mirabiliter te manifestas; ex magnitudine tui muneris te ipsum meis depingis &

exhibes oculis; agnosco infinitam excellentiam amoris, qui est in corde, per infinitam excellentiam muneris, quod est in manibus. Ipse tantum me amat, quantum mihi dat, & tantum mihi dat, quantum me amat: *Probatio 8. Gregor. dilectionis exhibitio est operis. Video, hom 30. in* quantum me amet, de hoc dubitare non licet, video id propriis meis oculis, circa hoc luculenter nimis convincor: & quando interrogo ingratum cor meum, ubi est gratitudo tua, confunditur, & non nisi novit dicere. Eheu! Si non plus amoris habeam in corde meo, quam muneris in manibus meis, quod largiar ipsi, an dicere possim, quod vel unicam habeam amoris DEI scintillam?

## ARGUMENTUM.

*DEus dedit Filium suum unigenitum hominibus, quia erant ipsi indigni: ex quo desumitur maxima ingratitude hominum.*

### ARTICULUS IV.

DEus Filium suum unigenitum dedit hominibus, quia ipso sunt indigni.

Insularis noster, qui jamjam celesti quadam demulcebatur suavitate in corde suo, ex enarratis hisce bonitatum DEI prodigiis, quamvis nec minimam adhuc intellexerit ipsorum partem, suspirium ex imo trahens pectore, nos interrogat. Ah! quomodo possibile est, quod cum omnes homines peccatores

fuerint, ut inimici DEI, extiterint digni, qui tam ingens ab ipso reciperent beneficium?

Hærebis attonitus stupore, respondit ipsi Ecclesiasticus, si dixerero tibi, DEum Patrem non dedisse Filium suum unigenitum hominibus, quod ipsi illi fuerint digni, sed quia ipse infinita ratione est misericors: Si

ipſi juſti fuiſſent & illius amici, non dediſſet ipſis illum; ſed quia peccatores fuerant & inimici ejus, hinc illis ipſum dedit. Non noſtra ſunt merita, nec bona opera, ſed peccata noſtra demerita, quæ traxerunt ipſum è cœlis in terram. Benè enim judices, ſi dicas, niſi omnes homines periſſent per peccatum, opus non fuiſſet ipſis, ut daretur illis DEus velut Redemptor; cum ſanis non ſit opus Medio, ſed ægrotis. Sic DEus Pater non dedit Filium ſuum unigenitum hominibus, niſi quia peccatores erant, inimici ſui, omninò indigni, quibus ingentem hanc exhiberet miſericordiam.

Inuſitata Phi-  
loſophia a-  
moris divini.

Sed quænam hæc eſt Philoſophia, totus attonitus, reponit hic homo? Nil magis repugnat ſanæ menti, quàm ita diſcurrere: Amabo illos, quia me oderunt; exhibebo ipſis infinitum bonum, quia exhibent mihi infinitum malum: complebo ipſos meis beneficiis, meis favoribus, quia digni ſunt ſuppliciiſ meis, & æternis meis ultionibus. Quis alius, niſi DEus, infinita ratione transcendens intelligentiam hominum, ita poſſit ratiocinari? Quid vis? reponit Eccleſiaſticus: *Sic amor vindicat*; non aliam, niſi hanc amor infinitus novit ultionem.

Et exin attollens vocem ſuam,

illamque exſtimulans, affectu admirationis & gratitudinis etgà bonitatem accenſus, ita effatur: ſed Tu, ô Verbum adorandum, Fili unigenite DEI vivi, Tu ſapientia DEI infinita, quem ita Pater dare volet indignis peccatoribus; an huic annues ordinationi, quæ ita adverſari videtur noſtræ rationi, tuæque indigna eſſe magnitudine: non enim daberis, ſi nolueris. Ad id voles, qui noſti cuncta exin ſecutura? ſi conſenſeris, quid tecum fiet? Noſti, nullum eſſe genus miſeriarum, calamitatum, adverſitatum, perſecutionum, humiliatum, opprobriorum, dolorum, ſuppliciorum, crudelitatum & iniquitatum, quod te non exſpectet, quod devorandum tibi non reſtet; ſiquidem malorum omnium, quæ peccatores fuerint promeriti, diluvium irruet ſuper te, & obruet te; & pro im-

Admirabilis  
diſpoſitio in  
finitæ ſapientia  
DEI.

mens bonis, quæ apportaveris è cœlo in terram, non reddet tibi terra niſi mala innumera. Et poſt hæc omnia, quæ exin nanciſceris emolumenta? Non alia, niſi quòd non ampliùs futurus ſis ſolus Filius DEI, nec ſolus poſſeſſor infinitorum bonorum DEI Patris tui: ſed habiturus ſis cohæredes in regno tuo.

Si videremus Filium unigenitum magni cujuſdam Monarchæ, qui lubens ſufferret ſibi dari

in-

Filius  
DEI i  
venit a  
negoti  
option  
ſtræ in  
redes a  
tres ſu

ingentem numerum extraneo-  
rum pro fratribus suis, hac lege,  
ut essent cohæredes in possessio-  
ne omnium ditionum suarum;  
& non solum is nullam faceret  
oppositionem, nec ullam exhiberet  
displicentiæ notam, sed  
vehemens ostenderet deside-  
rium: quid diceretur ad aspe-  
ctum hujus portentis? Nonne  
dicerent omnes: Oportet in-  
cantatum esse hunc principem,  
ita incurium propriæ utilitatis,  
suis immobilem commodis. Sed  
qui videret filium hunc unicum  
sibi ipsi imponere provinciam &  
munus Legati ad legionem quan-  
dam mancipiorum, hominum-  
que facinorosorum, qui omnes  
onerati forent catenis, ad pro-  
curandam inprimis ipsis libertatem,  
rumpendo catenas illorum,  
ut iis sese impleteret; nego-  
tiaturus ex in magna cum sollicitu-  
dine adoptionem & elevatio-  
nem illorum ad gloriosum cha-  
racterem, & eminentem digni-  
tatem filiorum Regis Patris sui,  
ut haberet, faceretque illos om-  
nes cohæredes suos, ita ut non  
nisi unum haberent regnum, u-  
num & eundem patrem: Quid,  
quæso, totus diceret mundus, vi-  
sa & perspecta re tam inaudita?  
Nonne hominum cunctorum  
animi his prodigiis rapti in stu-  
porem, prorsus hærent at-  
toniti?

Et nihilominus, quid foret hoc  
respectu ejus, quod videmus?  
Nam attentis omnibus, non fo-  
ret is, nisi homo, qui magnâ u-  
teretur bonitate erga alios homi-  
nes sibi similes in natura quam-  
vis inæquales in conditione &  
dignitate. Sed quod Majestas  
infinita, coram qua centies mil-  
leni mundi minores sunt atomô,  
eò usque demittere se voluerit,  
ex amore erga minimum nume-  
rum creaturarum maximè mi-  
serabilium in toto universo (ap-  
pello sic omnes, quos peccatum  
dejicit intrâ vermes & terræ pul-  
verem) quod Verbum adorand-  
um, Filius unicus supremi cœ-  
lorum Monarchæ, ipsemet in  
persona venire dignatus sit, quæ-  
situm hæc mancipia, hosce faci-  
norosos, magnos DEI Patris sui  
inimicos; quod, ut ipsos inveni-  
ret, ingredi abhorruerit ipsorum  
carceres, sese immergere ipsorum  
miseriis, onerare ipsorum cala-  
mitatibus; quod ipsorum pro-  
curaverit liberationem ac exem-  
ptionem, implectendo seipsum  
omnibus ab ipsis commissis cri-  
minibus, ad reddendam pro iis  
rationem & tolerandam debitam  
illis pœnam coram justitia DEI;  
quodque ex incomprehensibilis  
bonitatis abundantia sui pretiô  
sanguinis, & propriæ vitæ suæ  
comparaverit illis adoptionem  
in filios DEI, fratres suos, Princi-  
pes cœli, Imperatores æternita-  
tis?

Prodigium  
& incompre-  
hensibile,  
quod JESUS  
Christus fecit  
pro nobis.

tis? O cœli, obstupescite super hoc! O bases mundi concutite vos! O montes, ô petra, colliscescite in dulciores, hæc aspicientes portenta! Et miseria nostra corda his omnibus duriora, nullâ accepti beneficii diffluant memoriâ!

Verbum æternum dat Patri suo consilium, ut mittat se,

Pater cœlestis, quis suggestit tibi hoc consilium? non recepisti id ab alio extra te; sed propria tua sapientia ejus tibi dedit lumina, & exequendo illi liberum ac voluntarium ab æterno formavit decretum. Jam sapientia tua est unigenitus Filius tuus: Ille igitur ipse non solum consensit, ut mittatur, sed etiam sese obtulit tibi que ad hoc consilium suggestit. *Ecce ego,*

Uti, c. 6. v. 8.

*mitte me.* O quanta amoris & bonitatis abundantia erga nos miseris! ô DEus amoris! Nonne oporteret omnes homines esse non nisi unicum cor, magis amplum & extensum universo mundo, idque ardere igne amoris immensi in sua magnitudine, & infiniti in suo ardore, si aliquatenus respondere vellent magno huic amoris incendio, quod ipse illucescere nobis fecit?

Hæc consideratio cogere tam bonum, quod habeas DEum quasi debet animam durissimam, ut amet DEum,

Nonne nimium beata es anima mea, quod habeas DEum tam bonum, quodque certa sis eum eò usque amare te? Imo, amat te, te prorsus indignam, prorsus miserabilem, qualis qualis es. An ambigere de hoc ad-

huc potes? aspice in manibus ipsius amorem cordis ejus. An Pater tuus cœlestis daret tibi totum thesaurum suum, nisi foveret in corde suo amorem erga te æquè magnum, ac est munus, quod donat tibi? An Filius ipsius unigenitus descenderet e cœlo, quaesitum te in terris, seque sacrificaret pro te, nisi magis amaret te propriâ vitâ suâ? An Spiritus sanctus ipsemet fecisset admirabile hoc vinculum naturæ divinæ cum humana in Mysterio Incarnationis? *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est:* An deiecit ipse DEum usque ad nihilum tuum, & tuum elevasset nihilum usque ad DEum, nisi ardentissimè amaret te? An scire potes, te ita amari ab omnibus tribus divinis personis; & triplex hoc amoris vinculum non unicè alliget & conjungat te DEO? Ah! ingrate & indigne bonitate DEI erga te, nisi amaveris ipsum ex totis viribus tuis, & incessanter postulaveris vires ab ipso divinas, ad amandum ipsum semper magis super vires tuas!

Quomodo possibile est mi DEus, magnum hunc amoris ignem, hoc incendium, hunc infinitis ardoribus accensum clibanum, quem aspicio in corde tuo tam clarè, ut mihi de eo dubitare non liceat, non habere vires emolliendi duritiem meam, dissolvendi

Matth. c. 1. v. 20.

Principatus  
fensus  
lat hic  
à rebel  
ipforum  
amiciti

Solvendi glaciem meam? Aufer ergo à me cor hoc lapideum, & da mihi cor carneum, quod sentiat amorem tuum, alias habere cor nolim. O si saltem me hac donares gratia, incessanter cogitandi de hoc, & continuò ma-

gis magisque amabilem hanc penetrandi veritatem! sed frustra de hoc cogitavero, cum comprehensurus sim nunquam. Abyssus hic est, ubi se quis perdat, necesse est.

## ARGUMENTUM.

*Quò apparatu Rex gloriæ venerit ad nos, ut esset nobis Legatus pacis & reconciliationis cum DEO Patre suo.*

### ARTICULUS V.

**N**ON totum hoc est, profertur bonus noster Ecclesiasticus, vidisse, quòd consilium hoc DEI, de dando nobis Filio suo unigenito, prodigium sit incomprehensibile tum Angelis, tum hominibus. Sed modus id exequendi tam est admirabilis, ut terrore percellat & attonitum reddat omnem animum idipsum seriò considerantem. O quantum cogitationes DEI attolluntur supra cogitationes hominum! Ecce tibi tria, quæ excedunt omnem admirationem.

humiliationum, sui obtineant indulgentiam ac veniam criminis. Et nos videmus hic contrarium. Supremus cœlorum Monarcha est, qui offensus est à parvis terræ hominibus; & faciendo ipse, quod faciendum illis incumberet, mittit ipsis Legatum ad postulandam ab illis pacem, instantèrque efflagitandum ipsos, ut se secum reconciliare velint, offerendò ipsis, quod facere velit suas superabundare gratias, ubi ipsorum superabundaverunt delicta. Quis comprehendere hoc valeat?

Secundò Monarchæ nunquam mittunt Legatos, nisi ad capita coronata & potestates supremas. Ast si insinuare & manifestare velint abjectæ vel mediocri conditionis personis voluntates suas, non nisi servorum suorum minimum destinant ad illas. Sed ecce hic tibi rem prorsus

Principes offensus postulat hic pacem à rebellibus, ipsorumque amicitiam, Inprimis, quando subditi insolenter rebellârunt, imperiumque Principis detrectandò, illius incurrerunt indignationem, si obtinere velint remissionem, & recuperare ipsius gratiam, ipsorum est, requirere illum, mittere ipsi mediatores, qui pacem urgeant, ipsisque vi precum &

Supremus Monarcha mittit Filium suum unigenitum seu Legatum ad inimicos suos.

sus stupendam. Majestas magni DEI viventis, qui est Monarcharum Monarcha, mittit ad peccatorem, creaturarum despectissimum, Legatum adeo honoratum, tantaque insignitum eminentiâ, quasi negotium conficiendum haberet cum DEO sibi æquali. Et quando negotiandum sibi fuisset cum alia quadam persona divina, nobiliorem illi mittere non potuisset Legatum, quam illum, quem mittere tibi voluit.

Nonne habuit penes se tot milliones Angelorum, qui aulae suae coelestis sunt principes? Nonne habuit tot veteris Testamenti Patriarchas & Prophetas? Nonne habuit tot Apostolos totque Sanctos in Ecclesia sua Heroës? Nonne abunde sat erat, si novissimum misisset hominum? Absque dubio sat erat. Sed ex altissimo consilio, quo nobis demonstratur, quam habeat legationem hanc cordi, quamque ardentem desideret, ut felicem juxta vota sua fortiatu eventum, non concredidit hanc uni ex creaturis suis, sed mandatum ipsius dedit proprio Filio suo, unicum pignus suum, suum voluit esse Legatum. Et quis unquam audivit, quempiam Monarcham ceu Legatum misisse unicum, quem habebat, Filium? Verum est, inauditum est hoc, non nisi DEI solius est, cujus

consilia tam stupenda sunt, ut omnes nostras consumdant cogitationes.

Tertio quandò Principes quempiam mittunt ceu Legatum, volunt, ut magno se instruat apparatu, ingentem ac magnificum post se trahat comitatum, ut, quantum fieri poterit, ad regium accedat splendorem & pompam, sicque principalis sui honorem dignè conservet & Majestatem. Sed ecce DEI ordinatio prorsus contrarium tenet. Quando supremus hic mundi Monarcha Filium suum unigenitum ceu Legatum mittit ad homines, qui despectissimi sunt peccatores, non dicit illi: Indue te gloriâ & honore, accinge te fortitudine & virtute, vade ut omnipotens, talemque te exhibe, qualis es: assume tecum legiones Angelorum, Principibus curiae coelestis tuum stipato, ut agnoscaris ab omnibus, & debito afficiaris honore.

E contrario exui vult ipsum DEUS omni Majestatis suae splendore, nobis Filium suum unicum ceu Legatum, absque apparatu, quam illi seriarum manarum nostras vult ipsum induere mi-  
strae amictus mortalitatis sacco, velut unus ex nobis, velutque alius consideraretur homo. Vult ipsum esse solum, suum in mundum adornare introitum non duntaxat absque ulla pompa, sed ratione quadam despectissima, ingrediendò illuc per vile

vile quoddam & abjectum stabulum in medio tenebrarum noctis longissimæ, & in universali silentio rerum: vult insuper comparere ipsum pauperem, abjectum, contemptum, & velut hominum novissimum: unico vult verbo, ut non respiciat nec dignitatem suam infinitam, nec supremam ingentis Monarchæ se mittentis Majestatem, nec negotii, quod tractaturus erat, amplitudinem & eminentiam, conservationem nimirum & augmentum honoris & gloriæ DEI Patris sui. Sed vult, ut pauperi se nostro accommodet statui, nobis æqualem se reddat, nostris ubique & in omnibus studeat commodis, ut sic admirabili hac familiaritate nos lucraretur. O DEUS bone! ad quem amoris raperis excessum erga peccatores, inimicos tuos qui non nisi tuâ sunt digni indignatione! O abyssus misericordiæ, quam profundæ sunt cogitationes tuæ, consilia tua! O quam procul hæc distant à captu & intelligentia hominum! Nonne oporteret sæculo integro extra seipsum manere abreptum in hujus consideratione prodigii?

Verum, mi Chare frater, prosequitur Ecclesiasticus, convertens se ad novum tunc profelytum, affectu cordis tenerimo: Erat consilium hoc infinita ratione sapiens omnium trium di-

vinarum Personarum, quæ conspiraverant in unum. Oportebat ipsum esse Legatum infinita ratione nobilem, & totum abjectione refertum, infinita ratione divitem, & totum paupertate repletum, DEum omnipotentem & hominem prorsus infirmum. Oportebat ipsum talem esse, ut dignus esset mediator pacis & reconciliationis DEum inter & omnes peccatores.

Siquidem ex una parte, DEUS <sup>Cur Filius DEI</sup> Pater mittens ipsum, inquit: venire debuit ad nos in quem ex propria mea produxi <sup>tam tenui ap-</sup> substantia, quique est alter ego; <sup>Paratu.</sup> infinita ratione amo ipsum, & ipse tantum me amat, quantum ipsum amo: committo me ipsi in omnibus, & omnem meam supremam potestatem, sine ulla exceptione, ipsius configno manibus. Ex altera parte homo peccator dicit: Hic est frater meus, est mihi æqualis, est homo sicut ego, est productus e substantia humana simili meæ, cognatione se meæ junxit familiæ, humanam meam desponsavit sibi naturam; probe novi, huic ipsum personaliter esse unitum, nec amplius ipsam derelicturum, fortes meæ bono sunt loco in ipsius manibus, conservabit illas cum propriæ suæ periculo vitæ; quidquid agat, & quamcunque pro arbitrio suo ineat pacem, novi hanc semper fore e re mea;

H

Ipse

Ad Ephes.  
c. 2. v. 14.

*Ipsè est pax nostra, qui facit utraq; unum.*

Anima Christiana totam se committere debet Jesu Christo,

O si quis benè hanc comprehenderet veritatem, alià prorsus non foret opus ad stabilendum in anima pacem tam firmam & altè radicam, ut perpetuò immobilis & inconcussa maneret. Facile credendum & cœcò modò sequendum ac amplectendum foret consilium, quod suggerunt nobis vitæ spiritualis Magistri, dum dicunt: quòd postquam anima Christiana verè semel reliquit peccatum, postquam renuntiavit mundo, & cunctis creaturarum affectibus, nil aliud agendum ipsi restet, nisi ut totaliter & absolute committat Christo Jesu se totam, ad faciendum secum, quidquid voluerit, quin amplius sollicita sit de particulari sui gubernatione; sive consoletur, sive affligat illam; sive exspoliet, sive locupletet illam; sive per tenebras, sive per lumina; sive per gratias sensibiles, sive per rerum divinarum fastidia dirigat & deducat illam: hinc & est, quòd indifferens debeat esse circa omnia & in omnibus contenta, semperque secura, cum hac ratione quiescat intrà manus Redemptoris sui.

Postquam anima cognovit Christum Jesum, oblivisci debet sui, quantum poterit, ut non nisi cogitet de se ipso, abs co,

quòd deinceps aliquam sui ipsius curam habeat, aut perfectionis suæ, aut etiam propriæ salutis suæ: relinquat hæc omnia amori & directione benignissimi Salvatoris sui, qui multum angatur, quid futurum sit secum, modò ipsum aspiciat, modò incessanter ipso se occupet, & unicè ipsi hæreat affixa. Mediatorem habeo, qui propinquitatis vinculo me sibi habet conjunctam, quique me propriâ suâ plus amat vitâ: Non nisi ipsi committere me debeo in omnibus, ac ipsi permittere, ut faciat mecum, quidquid voluerit. Hoc sufficit animæ, ut solum attendat, solum aspiciat Christum Jesum, in quo reperit magnam valdè salutis suæ certitudinem; videturque ipsi, omnem suam perfectionem, omnemque etiam suam felicitatem in alio consistere non debere, nisi ut cogitet de ipso.

Mi DEus, quàm cœci sumus, quòd non videamus, unicum nostrum esse negotium, relinquere omnia, ut unicè simus Jesu Christi, cum videamus, & ipsum reliquisse omnia, ut unicè noster esset? quid possidere possumus in terra, quod adæquet ipsum? Si possideremus cuncta mundi solia, omnemque sæculorum omnium gloriam, hæc omnia tanti non essent, quanta pars horæ unionis cum Christo

Felicitas nostra consistenda in consideratione continua Jesu Christi, & oblivione omnium aliorum.

Qual  
boi



Christo JESU. Quando videmus, ipsum ita descendere de caelo exspoliatum omnibus, ut currat post nos, & quasi dicere nobis: *Ecce ego reliqui omnia, ut sequar te*; nonne & æquum sit, ut ex parte nostra respondeamus ipsi, quod Apostoli: *Ecce Domine, nos reliquimus omnia, ut sequamur te*. Quid cætera omnia tangunt & angunt nos, qui Christiani sumus, modò inseparabiliter maneamus conjuncti divino nostro Magistro, ad audiendum ipsius dogmata, ad aspiciendum ipsius exempla, ad imitandum ipsius vestigia, ad dependendum in omnibus à suavissima ipsius gubernatione. Induamus nos benè ipsius spiritû, collocemus in ipso omnem nostram fiduciam, inculpamus nobis firmiter ipsius regulas, & vivere studeamus propria ipsius vitâ. O inæstimabilem felicitatem animæ quæ

benè cognosceret *Christum Jesum*, ipsumque amaret ex toto corde suo.

Erat velut terra sicca, & rorem sitiens cœli, anima novi hujus discipuli: cernebamus luculenter, audire ipsum omnes hæc amabiles veritates magna cum voluptate, & quia novæ ipsi fuerant, penetrabant intimè cor ipsius. Sed primus hic cognitionis JESU CHRISTI, quem nonnisi parum gustare incipiebat, radius, adauxit famem ipsius, eumque impulit, ut instanter à nobis peteret, quatenus prosequeremur instruere & informare ipsum, quâ ratione admirabilis mediator hic pacis nostræ cum DEO suam ad metam deduxerit legationem. Circâ quòd Ecclesiasticus, qui explanationem cœlestis hujus Theologiæ exorsus fuerat, ita loqui ad ipsum perrexit.

## ARGUMENTUM.

*Admirabilis modus, quo Christus JESUS est usus, ad tractandam reconciliationem nostram coram DEO Patre suo.*

### ARTICULUS VI.

**N**ON est officium aut munus in aliquo regno, quale est illud Legatorum, præcipuè quando hi representantes personam Principis, sua utuntur auctoritate, ad pacificanda regna, & reconciliandos Monarchas. Opus est ipsis magnâ sapientiâ, nec mino-

râ in rebus agendis experientiâ, eò quòd gravissimum, quod in mundo agi possit, pax sit negotium, Indigent intellectu solidò, multâque cognitione ac scientiâ, quæ ipsis suppeditare valeant rationes satis firmas, satisque æquas, ad obviandum falsis

H 2

ratio-

Qualitates  
boni Legati,

rationibus partium quas passio cœca, & præceps impetus trahunt sapius, & rapiunt ad prætensiones injustas. Modò reperire potuerint conveniens punctum æquitatis, & documentis ac suasionibus suis duas in eundem sensum redigere partes omnes, excellentium Legatorum partes implevere: debeturque illis laus, quòd egregie illustrem hanc suam obièrint provinciam, quamvis re alia non steterit ipsis, nisi verbis.

Jesus Christus poterat nobis conciliare pacem solis verbis,

Quis dubitet, divinum hunc pacis Legatum, quem cœlum misit nobis, beatissimè negotiari potuisse reconciliationem nostram cum DEO Patre suo eadem prorsus ratione, quin indigeret alio, quàm unico oris sui verbo; ille, qui Verbum est omnipotens, Verbum adorandum, & infinita Sapientia DEI Patris sui; ille, qui est ipsius intelligentia, per quam cognoscit omnia; ille, cui is nunquam contradicere potest; ille, qui aliundè omnia corda hominum in suis tenet manibus, ut immutare illa possit, prout placuerit, & sacris inflectere motibus, qui sine ulla illorum libertati illata vi infallibiliter impetrant consensum voluntatis ipsorum? quis dubitaret, quin facillimè reconciliare omnia potuisset in cœlo & in terra, pacem stabiliendò universalem, abs eo, quòd alia re sibi

fuiisset opus, quàm verbis, quibus ominatissimo eventu opus magnum legationis suæ consecisset.

Sed uti voluit alia admirabili prorsus ratione, negotiandi & evincendi pacem, quæ nunquam nisi ab ipso solo in opus fuerat redacta. Imposuit sibimet onus parti læsæ integram præstandi satisfactionem; & minimè contentus solvere solummodò verbis, venit ad opera, aperit thesauros suos, & solvit ad assem debita ex propriis bonis suis. Et cum inveniret peccatores infinita ratione obligatos justitiæ DEI Patris sui, ipse se submittit & offert ad satisfaciendum ipsi, seque voluntariè obstringit ad solvendum omnia, quæ in toto rigore justitiæ debebant ipsi.

Quid ægis adorande Mediator, & ad quid obstringis te? peccatores, pro quibus satisfacturum te offers, infinita ratione debent justitiæ DEI; & tu inexorabilem ipsam esse haud ignoras. Non ignoro, inquit, sed infinita ratione solvam pro illis illòsque exsolvam. Sed digni sunt morte: Et moriar pro illis, servaturus vitam illorum morte meâ. Sed opus est illis satisfactione infinita pro injuriis, quibus DEI affecterunt Majestatem. Verum id est, sed ut eximam illos, suppeditabo inexhaustum pro illis thesaurum, qui plura completetur, quàm justitia DEI poterit ab illis postulare, Et

Inaudito modus, Christum voluit ad curandam stram reconciliationis satisfactio pro nobis

Efficax vum a Christum sum.

Et undè desumes hæc omnia? desumam è doloribus passionis diræ, duræ & crudelis, quos patiar pro illis; desumam ex innumerabili multitudine plagarum, quibus meum volo operiri & impleri corpus; desumam ex torrente sanguinis mei, quem effundam omnem, quin vel unicæ pepercerò guttulæ; desumam ex oceano amaritudinum, ignominiarum & cruciatuum, ex abyssò humiliationum, cui voluntariè immergam me, ut extraham, & omnes salvem illos; desumam denique è perforato meo latere, è proprio meo corde, quod aperiri mihi volo fixurâ lanceæ, dum crucifixus fuero, ut munificè effundam super eos thesauros cœli.

Ah! quis obstringit te ad hoc, Bonitas, Bonitas infinita! Estne hoc munus Legati? Quis unquam audivit, eos, qui Mediatoris funguntur officio, ut controversias inter duas componant partes, se submittere ad toleranda supplicia, quibus partium una inventa fuerit obnoxia? Quis unquam cogitavit de ejusmodi pacificatore, cui fuerit animus morte mori ignominiosa & crudeli ad conciliandum inter dissidentes pacem? O prodigiosam bonitatem DEI infinita ratione divitis in misericordia! Tu sola es, ô bonitas infinita,

tu sola es, quæ eousque attollere potes tuarum abundantiam misericordiarum: *Pacificans per sanguinem ipsius, qua in celo, & qua in terra sunt.* Ad Colofs. c. I, v. 20.

Tu emere & comparare nobis vis pacem omnium tuorum impendiò thesaurorum, illamque proprio tuo subscribis & confirmas sanguine, manifestissimè demonstrans nobis, quòd propriâ tuâ vitâ nos ames ardentius. O Bonitas! O Bonitas ineffabilis, te omnes creatæ mentes laudent in æternum; te omnium corda hominum amore amant magis accenso, quàm omnes Seraphini in cœlo, eò quòd pro iis feceris nunquam, quod fecisti pro nobis; & omnium aperta sint ora ad cantandum in æternum misericordias tuas: *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Psalm. 88. v. 2.

Dum magno cum animi fervore hæc effabatur homo nofter illa avidis usurpans auribus, totus extra se raptus apparebat, & inter abundantiam gaudii dilatantis cor suum, videbatur difficultè iis assensum intellectus præbere, eò quòd ob suam eminentiam, omnem transcendere fidem videbantur. Sed bonus hic Ecclesiasticus conversus ad ipsum, illius adauxit admirationem, dum hanc ipsi proposuit quæstionem.

H 3

An

naudit  
modus,  
Christus  
soluit ad  
urandam  
ram me  
liatione  
atisfacien  
ro nobis

fficax moti-  
vum amandi  
Christum JE-  
sum,

Mirabilis mo-  
dus, quo bo-  
nitas Jesu  
Christi nostra  
solvit debita,

An nōsti post hæc omnia, qua ratione hæc præstita sit solutio, eadēque adhuc hodiē præstetur? Divinus noster Mediator volens nos liberare à debito, quo tenebamur justitiæ Dei Patris sui, è propriis suis bonis, solvendo huic nobis omnia suppeditat necessaria. Ecce habes omnes ipsius thesauros, qui inexhausti sunt, tibi apertos, potes exin desumere, quidquid volueris. Sed an constat tibi admirandum amoris ipsius stratagemā, quidque faciendum nobis imponat, ut nos eximat. Nos debitores sumus, & Deus est, cui pro omnibus debitis nostris præstanda est satisfactio. Quis est ergo, qui debeat dare, & fieri pauperior dandō, debitaque solvendō? Et quis est, qui debeat recipere & fieri ditior recipiendō id, quod ipsi debetur?

Ipsa bona ratio exigit, respondit hic homo, ut ille, qui debet, solvat, seque exspoliet eo, quod habet, ut det illi, cui debet; & hac ratione se debitō eximet. Valdē benē, reponit Ecclesiasticus. Hæc bonæ justitiæ est regula inter homines; nec ullus sanæ mentis diffitebitur, nil magis esse congruum rationi. Verum in contractu bonitatis & misericordiæ plenissimo, quem amabilis noster Redemptor confecit pro miseris nobis peccatoribus, aliter omninō res agitur;

siquidem nos omnia debemus, & nos omnia recipimus; Deo debemus omnia, & ipse solvit, nosque locupletat; sicque nos exemptos vult esse à debitis, quibus ipsi tenebamur.

Ecce tibi inexhaustos gratiarum, satisfactionum, meritorum thesauros, qui à divino nostro Mediatore structi & instructi sunt nobis; & hoc divitiarum genere solvere nos oportet Deo cuncta nostra debita. Erit ne hoc, dandō & conferendō hæc omnia Deo? Non, sed recipiendō hæc à Deo. Erit ne is ditior, quando solverimus ipsum? an ipsius implebuntur & augebuntur thesauri? an creatura dare quidquam Deo potest? Et an ipse recipere quidquam potest ab illa? Non, sed miserabilis ego sum, qui debeo, & ego sum, qui recipio, meque locupletato, dum possessionem adeo gratiarum, meritum & satisfactionum Redemptoris mei; Et hoc nuncupatur optimè solvere debita mea, quandō summè me locupletato bonis illius, cui debeo. O admirabilis Deus in tuis operibus, & incomprehensibilis in tuis consiliis! quā inusitatum solutionis genus est hoc? Et quā inaudita inter homines justitiæ regula? Ille, qui debet, est, qui recipit, & locupletatur solvendō, & quāto plura hac solvit ratione, plus etiam locuplora-

Locuple-  
mus nos  
nis Deo,  
vendō  
debita

pletatur; & quandò summè locupletatus est bonis illius, cui dabat, creditur valdè benè hòc mediò sua solviste debita. Et ita nostrorum debitorum præstatur solutio modò infinita ratione oppositò illi, quem tenent homines.

Itane, exclamavit hic homo, totus attonitus & abreptus hòc prodigiò? Ita ergò Filius DEI descendit in terras, ad agendum cum hominibus peccatoribus? Itane? Sic suis JESU vindicat de inimicis? sic solvi se vult à illis, qui debent ipsi? ò Bonitas nimium amabilis! sic uti vis nobis, sic agere nobiscum miseris terræ vermiculis, & læsæ Majestatis divinæ reis? Tu infinita ratione mihi debes, & pro tota solutione, quem à te peto, aperio tibi omnes thesauros meos, quasi ego tibi deberem plurimum. Hauri, accipe bona mea, locupleta te abundanter, & modò accipias, quod tibi offero, contentus sum, mihi credo satisfactum, réque à debito absolutum dimitto. An possibile sit, quòd cognoscant homines, sic secum agere Deum, & cor ipsorum tanta non emolliatur bonitate? Quomodò possibile sit, Christianos firmam hanc tenere fidem, & non totos ardore amore Dei eòsque se amantis?

Infelix æstimatur, qui plus debet alteri, quàm ipse possideat: Beatus, qui cum multum debeat Deo, cogitur ad solvendum sua debita. spoliatur enim omnibus, quæ debet Deo, habet, & redactus ad incitas, nondum liber & exemptus manet à debito; fortassis mittetur in carcerem & dura stringetur captivitate usque ad factum. Sed liceat mihi dicere: Felix homo, qui debet Deo, & felicior, quando urgetur ad solvenda sua debita; siquidem hoc facere non potest, quin dives evadat; & quantò magis urgetur ad solvendum plura, tantò magis urgetur ad se locupletandum. Ita, Domine, fateor, me pluribus obstrictum tibi esse debitorem, mea tibi solvam debita; aperi mihi ergò omnes inexhaustos tuarum gratiarum, tuorum meritorum, tuarum satisfactionum thesauros; consigna illos non solum meis manibus, sed magis meo cordi, & locupleta me abundanter: Ita meò, quo tibi teneor, defungar debitò; hanc enim & non aliam à debitoribus tuis exiges solutionem. Sanè nonnè animam illà tygridum ferociorem deberet quis alere, qui non diffiueret in dulcorem si defixa mente consideraret hanc veritatem? Me quod attinet, consumere hic vellem horas, dies, septimanas, annos integros. Itane prodigium hoc clementiæ redigatur in opus quotidie, & non cogitemus de illo?

Si

Si feria revolvatur cogitatione, totum non ardeat tam ingentis  
nonne quis habeat non cor, sed bonitatis amore?  
petram in medio pectoris, quod

## ARGUMENTUM.

*Quòd videatur, amabilem nostrum Redemptorem tenere adhuc obligatum se nobis, quando nos plurimum locupletavit.*

### ARTICULUS VII.

**J**esus Christus nos recompensat adhuc, quando ipsius accepimus gratias.

**ET** nihilominus, reponit ipsi bonus Ecclesiasticus, totus accensus zelò, non sunt hæc, quæ admiror maximè: Est adhuc quid aliud longè majus. An crederes excessum bonitatis Dei erga nos eò usque progredi, ut postquam nos ita propriis suis locupletavit bonis, is adhuc obstrictum se teneat ad recompensandum nos magnificè, quasi insignè quoddam exhibuissemus ipsi obsequium, seque agnoscat magnis nobis devinctum nominibus, secus quod gratias benignè voluerimus acceptare? Eheu! quid præstitimus in hoc Domine, quod aliquam mereatur recompensationem, cum tantum bonorum cumulum à magnifica tua receperimus liberalitate? nos ergò tibi infinita ratione devincti manemus. Sed quodnam obsequium tibi præstitimus? responderet tibi: Adimplestis vota cordis mei, quod dum donis vos accumulatur, demulcetur gaudiò, quamvis id fiat absque ullo vestro merito.

Et vos gaudium affertis illi maximum, quod recipere extraseipsum possit, quando annuitis ad acceptandum ipsius bona; & ideo magnificas vobis præparat recompensationes in æternitate.

Pro quibus præparavit thronos & solia in regni sui gloriâ? Nonne pro iis, qui liberaliter hauserint ex inexhaustis thesauris meritorum Redemptoris sui? Et juxta proportionem, qua magnam bonorum gratiæ, quæ receperunt in hoc mundo, ostenderint abundantiam: pro eo, quòd videatur, hæc tanta esse, quæ oporteat solvi, debita, eò quòd reddenda sit ratio de bonis ab alio acceptis, Deus è contrario nomina sibi ipsi & debita imponat ex propriis suis bonis nobis persolvenda: verùm hæc solvit tam munificè, ut pro momentis det æternitates, pro atomis levium tribulationum, quas sustinuerimus in acquirendis propriis ipsius bonis, ineffabilis gaudiù reddat immensitates.

Et

& contingit, quòd, cùm anima nostra non sit ampla ad includendas illas omnes in seipsa, æternaliter in illas se immergat, seque perdat in illis: *Intra in gaudium Domini tui.* Intrat ipsa, & perdit se in gaudio DEI, eò quòd hoc gaudium tam magnum sit, quòd in illam intrare non possit. Nonne tibi videtur, maximum hunc bonitatis DEI excessum admirabilem prorsus esse? Admirabilem, respondit hic homo, totus divina perfusus consolatione, absque dubio admirabile, & admirabilissimum. Repetebat sæpius hæc verba, & aliud dicere non poterat.

Matth. c. 25.  
v. 21.

Christus Iesus in eo suum collocat gaudium, si nobis hæc faciat.

Sed majora hīs omnibūs adhuc restant, prosequitur Ecclesiasticus: Nam DEUS exinde sic oblectatur, ut postquam extraxit animam e peccatorum suorum barathro, postquam satisfecit pro illa, solvendō omnia ipsius debita e propriis bonis suis, postquam suis locupletavit ipsam gratis & meritis, postquam denique suā ipsam coronavit gloriā, tantis demulceatur deliciis, ut quasi solum cor suum has omnes capere non posset creaturas ad congratulandum sibi de insigni & pretioso hoc comparato sibi thesauro: *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, qua perierat.* Venite, venite, communicate ex meo gaudio; degustate mecum abundantiam

voluptatis meæ: anima hæc, quæ perdita erat, tandem inventa est.

Verùm, Domine, potius ergo huic animæ tantis repletæ, favoribus est gaudendum? ipsi ergo congratulandum est summè de inæstimabili, quam obtinuit, felicitate, & non tibi. Nam quid emolumenti tibi accidit & accedit inde? An minor eris, quàm es, si ipsa hac privaretur gloria? in ipsam solam totum dimanat lucrum, tota utilitas; ipsi soli igitur congratulandum est. Non, non, mihi ipsi, inquit hic DEUS amoris, charitate erga animas nostras totus abreptus, mihi ipsi volo omnes congratulari creaturas; maximo enim mihi gaudio est, quòd beatam ipsam intuear ac felicem: Non dicit: *Congratulamini inventæ ovi, quia videlicet gaudium DEI est vita nostra.* Magna est quidem hujus animæ felicitas, sed majus adhuc meum est gaudium. Ille quidem delectari potest dulcedine boni, quod possidet, sed ego magis & perfectius delector illo; eò quòd incomparabiliter magis ipsam amem, quàm ipsa seipsum amaverit unquam. An magis luculenter demonstrare nobis posset suæ erga nos excessum bonitatis, & tenerrimi erga nos amoris, quàm dum ita locutus est in Evangelio?

Iesus Christus magis gaudet de salute alius animæ, quàm gaudeat ipsa.

Christus] Iesus. Quando amamus aliquem si-  
 ostendit, se cut nos ipsos, tantum de ipsius  
 plus nostram gaudemus bono, quantum de  
 amare ani- nostro ipsomet. Sed quando  
 mam, quam obliviscimur propriae nostrae fe-  
 seipsum, licitatis, ut gaudeamus de felicitate  
 alterius, qualis nos haec affice-  
 ret magis, nota est, nos ipsum  
 amare magis nobismet ipsis.  
 Quid est hoc, mi DEus? unde  
 venit, IESUM Christum non di-  
 cere nobis: Venite, applaudite  
 propriae meae gloriae: Congra-  
 tulamini mihi de Excellentiss  
 meis divinis, dilatate corda ve-  
 stra, & mirum in modum gau-  
 dete de immensitate propriae be-  
 atitudinis meae. Tacet haec om-  
 nia, & solummodo cordis sui  
 ostendit jubulum circa meae salu-  
 tem animae: *Congratulamini mihi,  
 quia inveni ovem meam, qua perierat.*  
 Itane? Bonitas infinita! Quid  
 ex hoc deducere possum? Vi-  
 detur igitur te propriae tuae ob-  
 livisci felicitatis, ut gaudeas de  
 mea, quasi te magis haec oble-  
 ctaret. An amas ergo me ma-  
 gis teipso? Haec cogitatio me  
 oblectat & exterrit, nec recipere,  
 nec abjicere auderem ipsam,  
 quandam blasphemiae speciem  
 me crederem commissurum, si  
 admitterem, sed te datum esse  
 pro me, te propria tua morte  
 meam emisisse & comparasse

Luc, 15.

mihī vitam, meam gloriam tuis  
 opprobriis, meamque salutem  
 tuō damnō, nonne hoc verē est  
 amare me plusquam te?

Ah! Bonitas ineffabilis quam <sup>Efficax</sup> <sup>am</sup>  
 suaviter crucias animam, consi- <sup>vum</sup> <sup>am</sup>  
 derantem attentē ea, quae fecisti <sup>Christum</sup>  
 pro ipsa? Et post omnia, quae <sup>IESUM.</sup>  
 fecisti, tuae in hoc felicitatis col-  
 locas fastigium, quod reddideris  
 me beatum, quin vel minimum  
 exin redundet in te emolumen-  
 tum. Quis diffitebitur, quod  
 hoc amare sit, sicut DEUS amare  
 potest. Nonnisi tu sola es, o Bo-  
 nitas infinita, quae ita possis ama-  
 re. Sed ne displiceat tibi, ita te  
 amasse ingratum, fac, ut gratum  
 se exhibeat; fac ergo, ut amet  
 te infinita ratione, plus quam  
 se; fac, ut obliviscens sui, non-  
 nisi cogitet de te; fac, ut omne  
 suum gaudium, omnem suam  
 felicitatem in solo hoc consti-  
 tuat, ut quaerat te, ut inveniat te,  
 ut possideat te, ut inseparabiliter  
 maneat apud te; utque dicere  
 possit ē sincero cordis sui affectu  
 omnibus creaturis: *Congratulami-  
 ni mihi, quia inveni DEUM meum,  
 quem perdideram.* Ecce mei fasti-  
 gium gaudii, inveni DEUM me-  
 um divinā ipsius fruor praesenti-  
 a: Ipse meus est & totus ego  
 suus; nunquam amplius se-  
 parabor ab ipso.

Majest-  
 gnarun-  
 tatum  
 onis op-  
 intellec-  
 illas co-  
 hender-  
 leutem

CON-